

BLAGOVES CENSKIJ, NIKOLAJ MICHAJLOVIC

**De carminibus convivalibus eorumque in
vetustissima Romanorum historia concenda
memento...**

Petropoli
1854

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

BLAGOVĚŠČENSKIJ

Sprá
ka
(Rn.)
o



G...

G... Dr. Köpcke

...

...

DE
CARMINIBUS CONVIVALIBUS
EORUMQUE IN VETUSTISSIMA ROMANORUM HISTORIA
CONDENDA MOMENTO.

ORATIO

QUAM

D. XX. M. JUNII A. MDCCCLIII

AD CELEBRANDA

BIENNII ACADEMICI EXACTI SOLEMNIA
IN AUDITORIO MAXIMO

INSTITUTI PRIMARII PAEDAGOGICI

HABUIT

Nicolaus Blagoweschtschensky,

PHIL. DR. LIT. ROM. IN UNIVERS. CAESAREA PETROPOLIT. ET IN INSTIT. PRIM. PAED. PROF. EXTR.

PETROPOLI.

TYPIS ACADEMIAE CAESARAE SCIENTIARUM.

MDCCCLIV.



DE

CONSTITUTIONS

BOURNOUE IN VERTISSIMA ROMANORUM HISTORIA
CONDENDA MOMENTO

ОБЪЯВЛЕНИЕ

PLAN

Къ печатанію одобрено Конференціею Главнаго Педагогическаго
Института, 2 Іюня 1883 года.

Ученый Секретарь А. Смирновъ.
AD CETERA

INSTITUTUS ACADEMICI EXACTI SOCIETATI
IN AUDITORIUM MAJORE

INSTITUTUS PRINCIPALIS PEDAGOGICI

REPORT

Nicolaus Blagowoschtschenskiy

Impr. in Rom. in Impres. Cassina Pedagog. et in Inst. Princ. Pedag. Kats.

REPORT

INSTITUTUS ACADEMICI EXACTI SOCIETATI

AD CETERA



haec ipsae libere adhibere et voluntate sua et pia, quae cum
his conjuncta est, recordatione vere sacrae, in ipsi partibus,
haec ipsa sciam fortasse, in quibus nunc novam lectissimam
tam juvenum fortissimam eorum conspicio, — cuncta
haec etiam me inde a teneris juvenulis mea crescere, annis
et doctrina augeri viderunt, duobus doctissimis, summo opere
colendis: Graefio et Grimario, ad beatam dilectam classis,
nullis praeter aliis, quibus omnibus, hac occasione optata,
animi mei gratissima scara publice exprimore alio manibus

Wer in dem Epischen der römischen Geschichte
die Lieder nicht erkennt, der mag es: er wird immer
mehr allein sehen.

Niebuhr Röm. Gesch. I. Bd. p. 285.

Non sine magna animi commotione ascendi in hunc locum,
Viri spectatissimi, clarissimi, doctissimi, vosque commilito-
nes humanissimi; quocumque enim oculos conjicio, nunc pia
praeteriti temporis recordatio, nunc praesens haec laetissima
rerum facies, nunc denique nova futurae prosperitatis spes et
expectatio certa, mentem agitatam tenerrimis sensibus obruit
et perturbat. Locus hic tam diu, tam probe mihi cognitus,
cuncta denique haec miris modis commovent animum meum
laetitia, gratia memoria, pietate sincera perfusum.

His fere verbis exorsus est quondam orationem suam, in
solemni Universitatis et Paedagogii nostri inauguratione habi-
tam, clarissimus et nunquam omnibus nobis, quotquot hic
sumus, obliviscendus Frieder. Graefius, quem morte nobis
ereptum lugemus. His verbis etiam mihi incipiendum esse
existimavi; nam, si mihi de memet ipso verbum addere licet,

hae ipsae duodecim aedes et vetustate sua et pia, quae cum iis conjuncta est, recordatione vere sacrae, hi ipsi parietes, haec ipsa scamna fortasse, in quibus nunc novam lectissimorum juvenum florentissimam coronam conspicio, — cuncta haec etiam me inde a tenerrima juventute mea crescere, annis et doctrina augeri viderunt, ducibus doctissimis, summopere colendis: Graefio et Grimmio, ad aeternam quietem elatis, multis praeterea aliis, quibus omnibus, hac occasione oblata, animi mei gratissima sensa publice exprimere atque manifestare posse quam maxime laetor. In hoc nimirum literarum sacrario, quod et ipse ante hos undecim annos reliqui, animum meum primum ad illa studia inclinare sensi, ad quae nunc publice in hoc Paedagogio profitenda Spectatissimorum Virorum, quos hic gratissimo animi sensu perfusus adesse conspicio, voluntate atque singulari in me benevolentia ex remotissimo patriae nostrae angulo arcessitus sum. Quorum opera factum etiam est, ut post finita in hoc Paedagogio studia, peregre profectus per triennium fere in Germania commorarer, quo felicissimo vitae meae tempore doctissimis clarissimorum God. Hermanni, A. Beckeri, Stallbaumii, Hauptii, Klotzii, Kreuzeri, Baehrii et aliorum praelectionibus interfuisse mihi contigit, quorumque omnium semper mihi sacra erit memoria.

Illuxit denique mihi gratissima haec et diu in piis votis expectata dies, qua in his solemnibus coram vobis, Viri Eru- ditissimi, verba faciendi et splendidissimum et gravissimum negotium mihi impositum est. Quum autem in ipso novi muneris mei introitu haec publice dicendi mihi injungeretur necessitas, non prorsus ab hujus diei celebrandae ratione alienum esse existimavi, si illam de carminibus convivalibus

eorumque in vetustissima Romanorum historia condenda momento, quantum hoc in solemnī oratione fieri potest et temporis mihi ad loquendum concessi brevitās admittit, iterum moverem atque, pro virium mearum modulo, exponerem. Scio equidem, auditores spectatissimi, hanc dicendi materiam tritam esse atque a multis eximiae doctrinae et summi ingenii viris pertractatam, tamen eam oratione mea complectendam putavi, non quod ea novo quodam modo exposita, vel ipsa dicendi ubertate atque elegantia audientium animos capturum me esse sperarem, sed ut eam, quae semper rectissima mihi videbatur, de vetustissimae Romanorum poeseos indole sententiam, pro virili parte, defenderem. Accedit, quod ista, quam expositurus sum, quaestio non solum Romanos tangit, sed omnium fere populorum communis est, quo fit, ut accurata ejus indagatio etiam ad patria nostra antiquissima monumenta literaria enucleanda, eorumque indolem explicandam, multum valeat.

Nemo profecto est qui nesciat in unaquaque fere doctrina etiam hucusque inveteratas et ipsa antiquitate sua quasi sanctitas opiniones inveniri, quae non facile novis iisque melioribus, novam literis sternentibus atque munientibus viam, virorum doctorum placitis locum suum cedunt, sed, ut fieri solet, a plerisque, per plus minusve longum temporis spatium, spernuntur et non magni aestimantur. Quae sententia, caeterum omnibus nota, ita comparata est, ut ex parte etiam in Italorum nativam indolem recte aestimandam atque cognoscendam cadat. Quis est profecto, qui non, inde a nucibus relictis, persuasum habeat, prae omnibus quicunque extiterant populis, Romanos, ut graeca voce utar, πραγματικοῦς fuisse et omni tempore nonnisi ea, quae cum institutis eorum poli-

ticis, cum republica regunda atque cum militari eorum gloria nexum habebant, sola et unice attentione sua digna aestimasse; — quod autem reliqua attinet, in quibus etiam literaria ars numeranda, iis tantum ejus generibus, exceptis, quae ad quotidianae vitae usum applicationem habebant, tanquam luxuriam, ad vitam exhilarandam moresque molliores reddendos aptam quidem, sed non admodum necessariam considerasse. Haec sunt praecepta, quibus inde a cunis imbuti sumus; aut, ut cum Horatio loquar¹⁾:

«Haec recinunt juvenes dictata senesque (et)

«Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.»

Non equidem inficias ivero omnia haec; quaecunque a me post alios de Romanorum nativa indole, quain characterem dicere solemus, prolata sunt recte se habere, si historica respiciuntur tempora. Nam hinc et Virgilius, peritissimus ille popularium suorum ambitionis adulator, non ingratum quid populo Romano se dicturum putabat, quum jam expolita Augusti aetate scriberet²⁾:

«Excudent alii spirantia mollius aera;

«Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus;

«Orabunt causas melius, coelique meatus;

«Describent radio, et surgentia sidera dicent:

«Tu regere imperio populos, Romane, memento,

«Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,

«Parcere subjectis, et debellare superbos.»

Quae quum ita sint, nullo tamen modo, ut statim, quae in mente habeo eloquar, iis adstipulari possum, qui perhibent

¹⁾ Epistol. I, 1 v. 33.

²⁾ Aeneid. VI, 848 v. sqq.

Romanos prorsus nativa poetica indole destitutos fuisse nihilque per quinque et amplius, quae ab urbe condita praeterierant, saeculorum dectursum ad artium et literarum incrementum fecisse; sed, in debellandis populis et legibus ferendis occupatissimos, per omne hoc tempus non nisi strenuorum militum laudè excelluisse. Notum sane est ipsos Romanos testari sero se poesin accepisse; sero enim ferus Graeciae victor, ut Horatii verba mea faciam ¹⁾):

«Graecis admovit acumina chartis;

«Et post Punica bella quietus quaerere coepit,

«Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.

«Tentavit quoque rem si digne vertere posset:

«Et placuit sibi, natura sublimis et acer»

Sed ista, quae, testante etiam Porcio Licinio ²⁾):

«Poenico bello secundo Musa pinnato gradu

«Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram,»

non alia est, quam graeca et in Graecorum modum conformata poesis, non autem genuina et ex ipsa Italorum indole nata, quam hoc tempore Romani cum advectitia et peregrina, antiquissimorum suorum carminum dignitatis atque praestantiae immemores, commutarunt et in plerisque, quae posthac scripsere, imitandi libidine atque pruritu abrepti, Graecorum sectatores atque imitatores facti sunt.

Et revera apud omnes fere populos rem literariam, quae proprio sensu hoc nomine dicitur, et imprimis poesin, de qua nobis nunc unice sermo est, monumenta praecedunt literaria, quae tamen literis plerumque non mandantur, sed in ipsis

1) Epist. II, 1, 161 v. sqq. Cf. Cic. Tusc. disput. I, 2 c.

2) Apud Gellium in Noct. Att. XVII, 21.

populi ore vigent. Quare fit, ut ad posteritatem non perveniant, sed saepius simul cum populo, a quo procreata sunt, evanescent. Distinguiamus tali modo inter genuinam populi cujuscunque poesin, ab ipso procreatam, et peregrinam, aliunde petitam, quam suo sermoni suisque moribus adaptare soleat vario successu. Jam ista antiquissima rei literariae vel poeseos initia, quae in ipsius populi ore versari diximus, nonnunquam in serioris temporis monumentis literariis conservari et hac via ad posteritatem pervenire videmus. Sic ea, quae sub Homeri nomine circumferuntur carmina, ut jam Fr. Aug. Wolfius demonstravit, ex cantilenis extiterunt popularibus, quae in magna et continua epica carmina quasi consutae, rhapsodiarum inde nomen traxerunt¹⁾. Et in universum, ut hoc obiter tantum moneam, Graecorum res literaria, ut ipsa historia ejus satis superque nobis ostendit, sanam et naturalem gradationem logicamque, ut sic dicam, in progressu suo sequebatur viam.

Sed ut ad Romanos redeamus, profecto ex eo, quod ipsi eorum scriptores omnis suae rei literariae initia ad VI tandem a. u. c. saeculum, non sine multorum hodiernorum criticorum approbatione atque applausu²⁾, referant, nondum sequi-

1) Haec popularis poeseos vestigia praeterea etiam apud Theocritum et ipsos tragicos Graecorum poetas inveniri demonstravit Koester in dissertatione sua: de cantilenis popularib. veterum Graec. Berol. 1831.

2) Huc praeter Niebuhrii adversarios, quos suo loco nominabimus, pertinent etiam ii, qui de Romanorum tragoedia scripserunt: Langius: Vind. trag. rom. Lips. 1822 p. 13.; Regel: Diversa vir. doct. de re trag. Rom. judicia sub examen vocata. Gotting. 1834 p. 18; Nisard: Études sur les poètes latins de la decadence Bruxelles 1834. vol. I. p. 134 sqq. Fr. Jacobs. in dissertatione sua elegantissima: «de Senecae tragoediis» germanice scripta (Nachträge zu Sulzer), quae etiam in latina versione Lemerianae Senecae operum tragico-

tur rudes eos et ab omnibus literis artibusque alienos ante haec tempora vixisse. His enim temporibus, inter omnes constat, Romanos scribendi arte et consuetudine usos esse. Nam quum Livius (VI, c. 1) dicat per quatuor fere priora urbis saecula parvas fuisse et raras literas, quae una est custodia fidelis memoriae rerum gestarum, non sequitur inde nihil fuisse scriptum, fando narrandoque omnia tradita et propagata¹⁾. Et ipse literarum in Italia usus, etsi non ab Euandro repetendus, antiquissimus tamen apparet, ab initio quidem exiguus et non nisi ad publica monumenta ab interitu servanda et custodienda adhibitus. Hac aetate etiam, praeter multa alia historica monumenta, Annales maximi apud Romanos apparent, tempore incerto quidem, sed antiquissimo, ab initio rerum romanarum, secundum Ciceronis²⁾ verba; praeterea, ut ad posin redeam, carmina Fratrum Arvalium et Sacerdotum Saliorum, versus Fescennini, satira dramatica, fabulae Atellanae etc..., quae omnia nominasse tantum sufficiet, ne nimis in parergis haerere videar. His propterea omnibus missis, ad id antiquissimae atque genuinae Romanorum poeseos genus accedo, quod his novissimis temporibus magnam viris doctis disputandi materiem praebuit eosque in diver-

rum editioni (Paris 1829) praemissa est. — Qui omnes praetextatam tragoediam florere non potuisse, quum Romani fabulis poetice elaboratis carerent, ideoque tragicos Romanorum scriptores tragoediarum suarum argumenta ex Graecorum ducere scriptis coactos fuisse contendunt. Aliter et multo rectius de hac re disseruit Köpkins: Eine Beantwortung der Frage: warum sind die Römer gegen die Griechen im Trauerspiel zurückgeblieben? Neues Archiv für Philologie und Pädagogik v. Seebode. Hannover 1826 p. 46—61.

1) Verba sunt D. Beckii in «Epicris. quaest. de historiae rom. antiquissimae fontib. et veritate» p. XIV. Cf. W. Wachsmuth: die ältere Gesch. des röm. Staates. Halle 1819 (in ipso libri limine).

2) Cic. de Orat. II., 12 c.

sissimas partes traxit: carmina intelligo convivalia, quae nobis gravissimo documento sunt, «ne illis quidem, qui rudes ac bellicosi videntur, curam musicæ, quantum illa recipiebat aetas, defuisse»¹⁾, vel, quod idem est, et poesin et poetas sive vates olim Romæ floruisse longe antequam²⁾:

«Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio»....

Talia vero carmina revera Romæ extitisse certissimis iisque luculentissimis ipsius antiquitatis probatur testimoniis, quae partim a Niebuhrro³⁾, partim autem ab ipsis ejus adversariis allata sunt et undique congesta⁴⁾. Ex quibus testimoniis primo loco ea sunt memoranda, quae in Catonis et Varronis scriptis olim legebantur, a Cicerone et Nonio servata. Et primum antiquum in epulis apud Romanos canendi morem fuisse testatur Cicero⁵⁾, Catonem secutus, his verbis: «Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes» etc... Hujus modi autem ex ordine canendi mos necessario, ut rectissime Niebuhrius⁶⁾ observavit, bene nota carmina ista civibus Romanis fuisse supponit. Huic praeterea Ciceronis

1) Quintil. Instit. Orat. I, 10 §. 20.

2) Horat. Epist. II, 1, v. 156.

3) Nieb. Röm. Gesch., I Bd. p. 283 sqq. (edit. 3).

4) Collata ea vide imprimis apud Cellium in scriptis ejus Feriali fascie. II, p. 172 sqq.; Friburg. 1829; apud Corssemum: Origines poës. rom. p. 112 sqq. Berol. 1846. Diligentissime etiam haec testimonia collegit eaque optime illustravit Krausius in Hist. Rom. lit. Berol. 1835. p. 53 sqq., postquam prorsus ei quem habent contrarium sensum alii iis tribuerunt.

5) Tusc. Disputat. IV, 2.

6) Hist. Rom. T. I. p. 284. edit 3.

testimonio quam maximam fidem habere debemus, quippe quod Catonis verbis nitatur, quem summo jure gravissimum auctorem nominat; Catonem autem in scriptis suis in laudandis priscis moribus, qui sensim sensimque, praecipue a VI^{to} inde a. u. c. saeculo, e Romanorum vita evanescere coeperant, uberem fuisse consentaneum est putare. In Bruto suo c. 19. dolet Cicero horum carminum convivalium jacturam his verbis: «atque utinam extarent illa carmina, quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Catol.» Denique tertium apud Ciceronem de carminibus convivalibus invenimus testimonium, ubi iterum Catonem verborum suorum testem facit ¹⁾: «Quamquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus...» Verbis autem, quae sequuntur parum accurate usi quidam sunt ad probandum poesin olim Romae non in magno honore stetisse ²⁾. Pergit nimirum Cicero: «honorem tamen huic generi non fuisse, declarat oratio Catonis, in qua objecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset, Duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus igitur honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt.» Non animadvertunt Vv. DD. Ciceronem hoc loco tempora quam maxime sibi opposita confudisse. Nam in prima hujus loci parte, ut optime jam Krausius monuit, ³⁾ aperte sermo est de illo antiquo Romanorum in epulis carmina canendi more, quem jam

1) Tusce. I, 2 c. non solum in Originibus, sed et in Bruto.

2) Sic. H. Ulrici: Charakteristik der antiken Historiographie. Berlin 1833 p. 98.

3) Gesch. der röm. Literat. p. 53.

multis saeculis ante suam aetatem periisse ipsum Catonem (apud Cic. in Bruto c. 19) testari vidimus. Quae carmina convivalia, quum ab omnibus, ut jam observatum est, noscerentur, non inde profecto sequitur omnibus ea despectui fuisse atque contemptui. In oratione autem sua, cujus in altera testimonii sui parte Cicero meminit, eorum, quae in praecedentibus dixerat, quasi oblitus, de suo tempore, ut ex totius loci contextu satis superque patet, Cato loquebatur. Et profecto pertinebat Cato (et is tamen non semper et continuo) ad eos, qui Graecorum artes et doctrinas Romanorum civitati perniciosas fore putabant, ideoque non in magnis deliciis habebant eos, qui, ut M. Nobilior, Ennio aliisque Graecorum artis propugnatoribus atque antesignanis favebant, profecto nullo modo cum istis «vatibus atque Faunis», convivalium carminum auctoribus, confundendis. Alium praeterea l. l. eumque gravissimum Cicero errorem commisit, M. Nobilioris et Ennii exemplo probare studens honorem Catonis aetate poetis et carminibus Romae non fuisse. Nam quis est, qui nesciat magnum sibi olim Ennium totius populi et imprimis procerum civitatis amorem conciliasse eximiis suis de re Romanorum literaria meritis? Non omnes igitur Romani Catonis ¹⁾ exemplum sequebantur; imo videmus jam ejus aetate duas Romae extitisse factiones, quarum sectatores quam maxime inter se de pretio Romanis poetis, qui Graecorum in scriptis suis imitabantur exemplaria, statuendo dissentiebant. Non in vetustissima tempora, sed etiam in Catonis aetatem verba cadunt, quae ex carmine ejus de moribus Gellius affert ²⁾: «poeticae artis honos non erat; si qui in ea

1) Cui etiam vox «elegans» vitii fuit non laudis, teste Gellio, Noct. Att. XI, 2 c.

2) Noct. Att. ibid.

re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur.» — Sed non amplius Catonis testimoniis immoremur atque, auctoritate ejus missa, ad alia potius veterum de carminibus convivalibus testimonia dijudicanda transeamus. Hujus in epulis apud Romanos canendi moris meminit etiam Varro apud Nonium s. v. *assa voce*, ubi dicit hoc in conviviis carmina canendi negotium, in quibus majorum laudes erant, pueris modestis mandatum fuisse. Aliter Valerius Maximus ¹⁾ tradit, affirmans majores natu in conviviis clarorum virorum laudes decantasse. Cui controversiae nimium tribuere videtur Corssen ²⁾; nam ex ipsis Valerii Maximi verbis: «quo ad ea (i. e. egregia superiorum facta) imitanda juventutem alacriorem redderent» facile colligitur pueros conviviis interfuisse, ideoque carmina, quae iis a perpetuo usu innotescere debebant, et ipsos canere potuisse ³⁾. Denique perhibet etiam Quinctil. ⁴⁾ veterum Romanorum epulis *fides* ac tibiae adhibere moris fuisse.

Ciceronis aevo clarorum virorum laudes atque virtutes a convivalibus in epulis canendi morem non amplius in usu fuisse ex verbis ejus, quae supra attulimus, luculenter patet; nihil tamen est, quod nos admittere cogat omnia prorsus carmina, in hunc finem composita, hoc tempore intercidisse atque in oblivionem abiisse. — Rectissime enim, ut mihi quidem videtur, Niebuhrius ⁴⁾ observavit hujusmodi cantilenas popu-

1) Dict. fact. memorab. II, 1, 10.

2) Orig. poes. rom. p. 113.

3) Quod et ipse Corssen. p. 118 concedit his verbis: «Pueri igitur, qui patres eadem saepius cantare audivissent, fieri non potuit, quin et ipsi simplices modos illos edere mox discerent; id quod optime conveniebat cum consilio et legislatorum et patrum.»

4) Röm. Gesch. I, p. 246 et passim.

lares, in Romuli Remique et Coriolani memoriam compositas, Dionysio¹⁾ innotuisse. — Omnes, quicumque post Niebuhrium his Dionysii testimoniis explicandis operam navarunt, unanimi consensu *sacras cantilenas in iis intelligendas esse affirmarunt*²⁾. Nempe hoc ex ipso verborum ὕμνος et ὑμνεῖται usu conjiendum esse putant, quibus semper, secundum eorum opinionem, non nisi ad *sacras cantilenas designandas Graecorum scriptores utebantur*³⁾. Qua tamen opinione nihil lucratur. Et profecto sine ullo dubio in *sacris cantilenis Romulus celebrabatur, in deorum numerum receptus, sed quomodo hoc idem de Coriolano dici potest, quem disertis verbis Dionysius pium et justum virum (i. e. hominem) nominat? De quo praeterea ubi sermo est, non solum verbo ὑμνεῖται, sed etiam voce ἄδεται Dionysius utitur, quae propria est ad epica carmina designanda. Denique et ipse Romulus eodem jure deus habetur, quo et patrius Romanorum heros, ita ut carmina in honorem ejus composita ad utrumque cantilenarum (i. e. popularium et sacrarum) genus referri debeant. — Imo Niebuhrii sententiae Horatii etiam verba adstipulari videntur, quibus Romanos⁴⁾:*

1) Dionys. I c. 79: αἱ δὲ ἀνδρωθέντες γίνονται κατὰ τὴν ἀξίωσιν μορφῆς καὶ φρονήματος ὄγκον, οὐ συφορβοῖς καὶ βουκολοῖς ἐοικότες, ἀλλ' ὄλους ἀντις ἀξιόσκει τοὺς ἐκ βασιλείου τε φύνας γένους, καὶ ἀπὸ δαίμωνων σποράς γενέσθαι νομιζομένους, ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἐτι καὶ νῦν ἄδεται. — Cf. Dionys. VIII, c. 62, ubi de Coriolano haec: οὐ γέγονεν ἐξίτηλος ἢ τοῦ ἀνδρὸς μνήμη, ἀλλ' ἄδεται καὶ ὑμνεῖται πρὸς ἀπάντων, ὡς εὐσεβῆς καὶ δίκαιος ἀνὴρ. — Notandum praeterea est de Romulo verba ipsius Dionysii esse, non autem Fabii Pictoris.

2) Krausius p. 57; Ulrici p. 97; Corssen. p. 99.

3) Non semper tamen, quia ubi de Coriolano sermo est itidem Dionys. verbo ὑμνεῖται utitur.

4) Carm. I. IV, od 15 v. 25.

«Virtute functos, more patrum, duces» (Epist. II, v. 26) celebrandos, invitat, quae verba Horatius omnino scribere non potuisset, si iste carminum in epulis canendorum mos oblivioni fuisset traditus¹⁾.

Restat ut gravissimum antiquitatis testimonium afferamus, cui et ipse Niebuhrius peculiare inesse pondus, ad sententiam suam de vetustissima epica Romanorum poësi stabilendam atque firmandam, existimabat. Quod testimonium ex Ennio depromptum, una cum Ciceronis explicatione, nullum relinquit dubium, quin longe ante Livii Andronici Ennii-que tempora et poësis et poëtae Romae extiterint. Accuratus propterea hoc testimonium a nobis examinetur necesse est, praesertim quum A. W. Schlegelius²⁾ falsum et, ut mihi quidem videtur, de industria ei, quem habet prorsus dissimilem sensum tribuat. Dicit nimirum Cicero haec³⁾: «nihil est (enim) simul et inventum et perfectum: nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poëtae: quod ex iis carminibus intelligi potest, quae apud illum et in Phaeacum et in procorum epulis canuntur. — Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

quos olim Fauni vatesque canebant,

Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,

Nec dicti studiosus erat;

Ante hunc:

1) Quod autem ad «annosa volumina vatum» Horatii (Epist. II, v. 26) attinet, non ea cum Niebuhrio (Röm. Gesch. I, Bd. p. 289) ad epica Romanorum carmina referenda esse putamus; nam sub voluminibus, ut rectissime A. W. Schlegel., in censura Niebuhriani operis, Ephemeridib. Heidelbergensibus liter. inserta (A. 1816 p. 841), monuit, non nisi scripta monumenta literaria intelligi possunt.

2) Heidelberg. Jahrbüch. d. Lit. 1816. p. 838.

3) Brut. c. 18.

ait ipse de se, nec mentitur in gloriando; sic enim sese res habet. Nam et *Odyssea* latina est sic, tanquam opus aliquod *Daedali*, et *Livianae fabulae* non satis dignae, quae iterum legantur.»

Si totum hujus loci contextum consideramus, hunc aperte sensum praebet atque sententiarum nexum exhibet. — Ut in artibus¹⁾, sic etiam in re literaria gradationem aliquam observari atque a deterioribus ad meliora et luculentiora progressum Cicero l. l. perhibet. — Non dubitandum inde esse pergit Cicero, quin *Homerus*, tanquam perfectissimus poeta epicus, antecessores atque praecursores suos habuerit, quod praeterea ex iis carminibus perspicuum esse dicit, quae apud illum et in *Phaeacum* et in *procorum epulis* canuntur. — Istae autem cantilenae, quas *Homerus* poematibus suis inseruit, similia, quae olim apud Romanos quoque extiterant, carmina *Ciceroni* in memoriam revocant, quorum etiam *Ennius* meminit, non sine jure, secundum *Ciceronis* opinionem, *Faunos* vatesque eorum auctores nominans, quippe qui nondum *graecorum poetarum* sublimia exemplaria manu versarent, atque nondum elimato et eleganti sermone latino scriberent, aut potius canerent. — *Faunos* aperte istos antiquos auctores propterea nominat, quia, nondum *graeca arte* atque doctrina imbuti, ipsam naturam magistram habebant. — Sub vatribus etiam l. l. antiquissimi *Romanorum poetae* intelligendi sunt, non autem, ut aliis placet, *divinatores* atque *fatidici*; nam in vatribus etiam *Naevium* Cicero numerat, quod *Schlegel.*³⁾

1) Cf. ejusdem capit. § 70.

2) Minus recte *Krausius* p. 62 sub *Faunorum cantilenis pastoritia carmina* intelligenda esse contendit.

3) *Heidelberg. Jahrbüch.* p. 838.

contra totius loci contextum et contra linguae latinae usum, negat, nulla denique ipsius Ciceronis verborum ratione habita, qui sequ. cap. ¹⁾, nostrum locum respiciens, addit: «illius (Naevii), quem in vatibus et Faunis numerat Ennius.» Opponit igitur hoc loco Cicero ex una parte Homerum istis poëtis (*ἀοιδοί*), qui eum in scribendis heroicis vel epicis carminibus praecesserant, ex altera autem Ennio opponit antiquissimos vates atque Faunos, qui jure Romanorum *ἀοιδοί* dici possunt, quorumque cantilenis Ennius, ad instar Homeri, in quibusdam Annalium suorum partibus usus esse videtur.

His omnibus veterum testimoniis de carminibus convivalibus sub examen vocatis, sole clarius est Romanos hujusmodi cantilenas habuisse, quod et ipsi Niebuhrii adversarii concedere debuerunt. Sed, ut in omnibus Niebuhrio contradicerent, haec carmina historici seu epici argumenti fuisse, ideoque in vetustissima Romanorum historia condenda magnum habere potuisse momentum, negarunt ²⁾. Inter rationes autem, quas huic rei probandae attulerant, multas videmus leves esse ac futes neque ita prolatas, ut facili negotio refutari nequeant. Sic Schlegelius l. I. haec convivalia carmina epica fuisse propterea non agnoscit, quia traditum nobis est, Romanos ad tibias ea canere solitos esse. Qualis autem tibicen, exclamat, epicis longioris ambitus carminibus usque ad finem succinere poterat! Hujusmodi ad tibicinum pulmones provocatio, momente jam Krausio ³⁾, omnino ridicula est, inutilis praeterea et parum necessaria. Nam disertis verbis nobis traditum est non solum cum tibiae haec carmina cantitata esse, sed etiam

1) Brut. c. 19.

2) Sic Schlegel l. c. p. 839; Ulrici p. 89; Corssen. p. 116.

3) Geſch. der röm. Lit. p. 69.

assa voce¹⁾ i. e. sola voce, ut Nonius explicat. Denique, ut Quinctil. verba mea faciam²⁾: «veterum Romanorum epulis fides etiam adhibere moris fuit.» Aliam, eamque non minus admirabilem, Corssen.³⁾ rationem affert, quae ei sufficere videtur ad probandum convivalia carmina quam brevissima fuisse. Dicit nempe haec convivalia carmina praesertim in funebribus conviviis a Romanis decantata esse, in quibus tam copiosam vini in mortui honorem hausti potionem fuisse contendit, ut motis praesertim excitatisque dolore animis, vix convivae longiorum carminum connexum accurate memoria tenere possent. Sed, ut ad Schlegelium redeamus, non majus momentum etiam alia ejus argumentatio habet, qua ad probandum utitur convivalia carmina brevissima fuisse, quod ex Varronis testimonio patere dicit, quippe qui memoriae prodat pueros ea in conviviis decantasse; non possumus enim nobis persuadere, pergit Schlegel., Romanos pueros jam istis antiquissimis temporibus tam docta eruditione insignes fuisse, ut longas epicas rhapsodias memoria tenere easque recitare possent. De industria tamen reticet Schlegel. haec carmina non solum a pueris, sed etiam, ut jam supra vidimus, a convivis, igit. a hominibus adultae aetatis, in epulis decantata esse. Ponamus tamen traditum nobis esse nonnisi pueros has cantilenas cecinisse; quod cur fieri non potuerit, non videmus. Nam profecto docta, quam Schlegel. postulat, educatione opus non erat ad haec carmina memoriter tenenda, quae praeterea, ut jam diximus, pueris a perpetuo usu innotescere poterant. Et profecto facilius etiam longioris ambitus epica carmina

1) Testante Varrone apud Nonium s. assa voce.

2) J. O. I, 10 § 20.

3) Orig. poes. rom. p. 116.

memoria tenere poterant pueri vel eo tempore, de quo nobis sermo est, quam Horatii aetate Odysseam Livii Andronici latinam ediscere¹⁾, quae, propter difficultatem suam et sermonis asperitatem, «tanquam opus aliquod Daedali²⁾» Romanis apparebat. Quae quum ita sint, lubentissime tamen Schlegelio concedimus Romanos majorum suorum gloriam in minoribus celebrasse carminibus. Non contendimus praeterea ex illis cantilenis in ordinem redactis longius et continuum epicum carmen compositum jam olim apud Romanos extitisse totumque in historiam eorum vetustissimam fluxisse, quod ne ipse Niebubrius affirmare voluisse videtur³⁾. Nondum tamen ex eo sequitur has cantilenas, ut Schlegel contendit, nihil aliud fuisse, quam exclamationes hymnis fratrum Arvalium simillimas⁴⁾. Denique etiam ex ipsa primitiva latini sermonis indole perspicuum esse contendit Schlegel.⁵⁾ nulla epici argumenti carmina, et in universum nullam poesin, ante VI ab u. c. saeculum Romanos habuisse. Sed primum vel ideo huic sententiae adstipulari non possumus, quod nullam ita barbaram

1) Horat. Epist. II, 1, v. 70.

2) Cic. Brut. c. 18.

3) Haec sunt Niebuhrii verba in III edit. T. I. p. 288: Verschieden von diesen (Nentien) in Form, und von großem Umfang, theils zu einem Ganzen verbunden, theils einzelne nicht nothwendig zusammenhängende Lieder, waren die ic.

4) His verbis innuere videtur Schlegel. carmina convivalia lyrica magis, quam epica fuisse. Quam ejus sententiam Corssen. secutus patere dicit (p. 119) haec carmina convivalia, quamvis res gestas clarorum virorum continuerint, tamen et ratione et forma non epicas rhapsodias, sed lyrica carmina breviora, Scipionum sepulcralibus versibus simillima, fuisse. Neminem tamen facile inveniri posse puto, qui contendere velit sepulcrales istas Scipionum inscriptiones magis lyrico, quam epico caractere insignes esse, nam nihil aliud continent nisi enumerationem eorum, quae a Scipionibus praeclare gesta sunt.

5) Heidelb. Jahrb. p. 841.

gentem extitisse vidimus, quae prorsus poetica facultate destituta fuerit. Deinde verò nihil ab auctore hujus sententiae lucratur eo, quod nullum in antiquo latino sermone extiterit ad poetam designandum vocabulum: hanc enim vocem, a Graecis mutuam, sero tandem in Romanorum linguam illatam esse, vocabulum autem «vates» non poetam, sed divinatorem olim significasse notum est. Nihil tamen, ut jam diximus, hac argumentatione efficitur, quia etiam in Graecorum lingua sero tandem vocabulum ποιητής apparet, pro quo ubique in carminibus Homericis vocem ἀοιδός legimus. Quis tamen inde conjiciat nullam, Homeri aevò, in Graecia floruisse poesin? Si tamen ex ipsa antiqua Romanorum lingua argumentum petatur necesse est, alia vetustissima sane afferri potest vox ad probandum non prorsus etiam antiquitus Romanos poetica destitutos fuisse indole. Quod si enim ex una parte vocem «poeta» in antiquissimis monumentis Romanorum literariis desideramus, ex altera *Camenarum* nomen extare videmus, quo Musae cantui faventes dicebantur¹⁾.

Quum igitur ita res se habeat, non multos posthac fore puto, qui, his Schlegelii aliorumque similibus argumentis decepti, penitus sibi persuadeant antiquos Romanos prorsus poetico ingenio destitutos fuisse. Quam opinionem falsam esse, praeter alias, quas attulimus rationes, documento nobis etiam est ista mira antiquissimorum Italiae incolarum ex tempore versuum faciendorum facultas, qua etiam hodierni Itali excel-

1) Earum enim nomen Festus, Macrobius, Servius et alii grammatici unanimi consensu a *canendo* deducunt, ita ut vox *Camenae* altera forma pro *Canenae* sit. Sunt etiam, qui *Camenarum* nomen contractam formam vocis *Canimoenae* esse putent. Huc praeterea *Carmentae* nomen pertinet, quod a voce «*carmen*» derivari in aprico est.

lunt. Praeterea isto, de quo agitur, tempore, ut facile demonstrari potest, Romani ex proprio suo ingenio dramaticae, lyricae et praesertim epicae poeseos jecerunt fundamenta, quae postrema egregie sese in carminibus eorum convivalibus manifestavit. Haec autem carmina, licet, ut hoc concedamus, breviter essent, quum tamen facile nexum inter se habere possent, haud parvam cum Homericis rhapsodiis similitudinem praebuisse non est cur negemus. Quae quum ita sint, non inepte profecto cum Niebuhrio ea tanquam epicae Romanorum poeseos splendidissima consideramus initia, quorum nihil in Romanorum poesi sequiori aetate praestantius extitit, quippe quae investitius fructus esset omnique naturali atque nativa indole careret. Et sane Niebuhrii adversariis concedamus necesse est haec carmina non, ut in Graecia factum videmus, apud Romanos in unum magnum poema coaluisse, hoc tamen persuasum habemus ea facile coalescere potuisse, si alter Homerus, non talis sane, qualem se Ennius esse fingebat, Romae extitisset. Cuique praeterea nostra aetate post Niebuhrium, qui sane in singulis quibusdam egregii operis sui partibus ulterius, quam debebat progressus est, probabile, imo certum factum est, ex istis cantilenis plurima ex parte fabulosam historiae Romanae speciem fluxisse, quae, etiam in prosaicam Titi Livii de primordiis Romanorum civitatis narrationem soluta, omnes sublimis epici carminis virtutes atque dignitatem ostendit, in ea nominatim operis ejus parte, quae vulgo regum historia dicitur. Quam operis Liviani partem corruptam esse atque vitiatam quum ipsi Niebuhrii adversarii non agnoscere non possent, ex altera autem parte nihil e carminibus in epulis cantitatis in historiam redundasse contenderent, multas alias corruptae a Romanis historiae causas atque

rationes proposuerunt, quae quum jam a Krausio satis superque refutatae sint, singulae earum recoctae hic apponantur iterumque sub longum examen vocentur necesse puto non est¹⁾. Et profecto istis, quas post Niebuhrium VV. DD. attulerant, argumentationibus neutiquam probatum est nullum convivalia carmina in vetustissima Romanorum historia condenda habuisse momentum. Ex iis enim imprimis, ut jam dixi, poeticam Romanorum historiae fluxisse speciem in aprico est, quamvis non inficias iverim etiam alia multa, ut infra videbinus, plus minusve ad historiae romanae primordia corrumpenda iisque poeticum colorem inducendum inservire potuisse²⁾.

At objiciat quispiam ipsum Livium nusquam carmina ista convivalia aliasque populares cantilenas tanquam fontem, ex quo hauserit, afferre. Haec est etiam clarissimi Lachmanni³⁾ sententia, cujus sane magna est in simili quaestione auctoritas. Ex Livii tamen silentio nondum concludere licet carmina convivalia non amplius ejus aetate superfuisse, aut saltem adhibita ab eo non fuisse; nam, eodem Lachmanno

1) Sic Wachsmuth. (die ält. Gesch. des röm. Staates p. 13) primum locum in vetustissima Romanorum historia corrumpenda traditionibus tribuit; Schlegel. (Heidelb. Jahrb. p. 342) istum in Liviana historia poeticum colorem nil nisi rhetorica ornamenta esse perhibet; Corssen. (orig. poes. Rom. p. 183) e sacris libris et cantilenis eum fluxisse contendit; Ulricius denique (Charakteristik der ant. Historiographie p. 84 et p. 102) fabulosam historiae romanae speciem ex historicorum monumentorum jactura nimioque Romanorum omnia sua extollendi studio explicandam esse putat.

2) Huc accedit etiam aliorum, ut Germanicae stirpis populorum, qui Nibelungorum carmina, Hispanorum, qui poema popolare, Cid inscriptum, possident, similitudo, Normannorum praeterea et Slavicae originis populorum, qui omnes fabularum atque traditionum poetice elaboratarum copia abundant.

3) Fr. Lachmanni de fontib. historiarum T. Livii. Gotting. 1822 p. 19.

testante ¹⁾, hoc silentium ex more veterum scriptorum, raro fontes suos indicantium, facile explicari potest. Quare non recte inde, quod Livius multa monumenta, ejus aetate sane superstita, non contulerit, ea tum non superfuisse multi recentiores critici conjecerant. Quae quum ita sint, lubentissime tamen concedimus Livium carmina ista non inspexisse; alia enim via in ejus de Romae primordiis narrationem ea manasse facile probari potest. Hoc autem ut fiat, necesse est breviter et verbis haud copiosis rationem exponamus, quam ii, qui Livium praecesserant, Romanorum scriptores in historiis scribendis secuti sunt. Historiam, ut cum Lachmanno ²⁾ loquar, quam vocant criticam et his nostris disciplinis, quas auxiliares dicimus, adjutam non noverant veteres, quamquam rudimenta quaedam singularum jam aderant. Quod praeterea ad Romanorum historica opera attinet, sero tandem, quae quodammodo hoc nomine digna sint, apud eos apparent. Usque ad postrema enim reipublicae liberae tempora nihil fere, si modo Catonem et Polybium, inter Romanos scriptores profecto haud numerandum, excipias, habebant Romani praeter ieiunos Annales libros Annaliumque scriptores, vel propterea, ut Sallustii ³⁾ verbis acquiescam, quod «optimus quisque facere, quam dicere, sua ab aliis laudari, quam ipse aliorum narrare mallet.» Experta etiam est magnum historia Romana incommodum eo, quod primi, qui de rebus romanis tradiderant, Graeci erant. Eorum enim attentionem mature convertit in se nascens ac rapido cursu progrediens civitas, cujus mores et instituta politica et ipse sermo quum ab iis ignorarentur,

1) Lachmann. *ibid.* p. 10.

2) Lachmann. *de fontib.* etc. p. 9.

3) *Bellum Catil.* c. 8.

facile fieri poterat, ut, historiam ejus enarrantes, in graves saepius inciderent errores, quos partim incuria, partim ignorantia, partim autem etiam invidia fudit¹⁾. Eo magis propterea mirum videri debet, quod eorum opera, haud magna historica fide insignia, sequiori aetate a plerisque romanis historiarum scriptoribus non pro turbido habebantur fonte, quum eodem tempore multa pretiosissima, ex quibusque optime hauriri poterat, monumenta historica, per omnem Italiam dispersa, spernerent²⁾. Eo scilicet tempore, quo nulla fere adhuc rei literariae apud Romanos reperimus vestigia, memoriae de civitate eorum, Dionysio Halicarnas. teste, Hieronymus, Timaeus et «μυρίαι ἄλλω» prodiderunt. Qui quidem scriptores ad opus suum non post accuratum rei studium accesserant, sed, eodem Dionysio testante³⁾: «ὧν ἕκαστος ὀλίγα καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσπουδασμένας οὐδὲ ἀκριβῶς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκούσμάτων συνθεῖς ἀνέγραψεν.» Quae Graecorum scripta, postquam cultioribus inter Romanos innotuerant, omnino eorum superbiam et patriae amorem non offendere non poterant, eosque ad respondendum obtrectatoribus suis coegerant. Haec videtur praecipua esse causa, cur primi Romanorum Annalium scriptores historias suas non latine, sed graece conscripserint⁴⁾, quod minus recte a quibusdam ex ipsius linguae latinae, admodum ea aetate rudis et incultae, conditione explicatur⁵⁾. Hinc etiam explicari debet nimium eorum omnia romana ad coelum usque laudibus

1) Becker: Handbuch der röm. Alterth. I Bd. p. 38 sqq.

2) Le Clerc: des journaux chez les Romains etc. Paris 1838, p. 54 sqq.

3) Antiqu. Rom. I, 6 c.

4) Niebuhr: Röm. Gesch. herausgeg. v. Schmitz, aus dem Englisch. v. Zeiß. Bd. 4 p. 46. Cf. Niebuhr: Röm. Gesch. Bd. II, p. 9.

5) Krause: Gesch. der. röm. Lit. p. 111.

evehendi studium¹⁾. Qui praeterea, quum tempora aetate supparia bene sibi cognita haberent, in prioris tamen aevi enarranda historia parum accurate versati sunt, neque certi quid de ea proferre poterant.

Postquam tali modo Graecis Romanorum historia innotescere coeperat, nullam fere ipsi Romani patriae suae habebant notitiam, quum prorsus historicis carerent scriptoribus, qui iis res, ab eorum majoribus gestas, exponerent. Permulta enim literaria et alia, ut jam diximus, monumenta historica, per totam Italiam dispersa, quorum multa etiam T. Livii aetate superstita fuisse notum est, neuiquam populo, patriam suam historiam cognoscendi cupido, satisfacere poterant, quum propter siccitatem suam et jejunum scribendi genus vel a peritissimo quoque negligerentur. Non aliter enim ipsos Maximos Annales et alia monumenta historica considerabant, quae, quum maximi ad primordia historiae romanae enuncleanda momenti essent, a populo tamen recte aestimari non poterant. Romani enim, praesertim eo tempore, de quo sermo nobis est, ut omnes, qui nondum virilem aetatem attigerant, populi, victoriis praeterea suis freti, non magnam sane voluptatem ex ista sicca et ieiuna eorum, quae a maioribus gesta sunt, enumeratione percipere poterant, historiamque suam, omnibus poeticis coloribus et figmentis exornatam, nudae veritati praeferebant²⁾.

Huic communi necessitati, quae jam pridem sese in convivalibus aliisque hujus generis cantilenis popularibus manifesta-

1) V. quae Polyb. I, 14 c. de F. Pictore testatur.

2) «Nam neque alacriores ad rempublicam defendendam, neque segniores ad rem perperam faciendam annales libri commovere quidquam (quemquam?) possunt.» Verba sunt Sempronii Asellionis apud Gell. Noct. Att. V, 18 c. Cf. T. Liv. in Praefat.

verat, ut etiam magis satisfaceret, exorta est, inde a Punicis bellis, longa historicorum series, Annalium scriptores intelligo, qui, sedula perscrutatione ac veritate historica, quam parum curabant, spretis, in narrationem suam de Romae primordiis omnes antiquas traditiones, fabulas omnes, quas gentilium vanitas procreaverat, omnem denique poeticum apparatus, quem iis populares cantilenae praebebant, nec non propria sua figmenta, rei exornandae accommodata, intulerant. Hoc modo non narratores, sed exornatores potius rerum gestarum extiterant, et quo magis factum aliquod historicum, a maioribus memoriae pròditum, ad legentium animos movendos poeticosque recipiendos colores accommodatum erat, eo magis figmentis variis atque fabulis ab Annalium exornabatur scriptoribus, quum ex altera parte res a maioribus gestae, quae non ita comparatae erant, ut populi admirationem excitarent, sub eadem sterili ac ieiuna forma, quam iis antiquissima historica monumenta indiderant, ab istis Annalium scriptoribus posteris traderentur. Historias autem suas vel ab urbe condita, vel a Gallis capta exordiebantur et plerumque easdem fabulas retractabant, quae jam ab iis, qui eos praecesserant, Annalium scriptoribus in vulgus sparsae erant, a quorum scriptionibus nonnisi in iis recedebant, de quibus aut varia percrebuit fama, aut quae ab aliis non satis vividis ac poeticis coloribus adumbrata esse censerent, ita ut non sine jure conicere liceat omnes Annales non magnopere inter se fuisse dissimiles.

Quibus omnibus factum est, ut sensim sensimque fabularum numerus cresceret ac historica in dies obscuraretur veritas. Priusquam vero huic de Annalium scriptoribus quaestioni finem faciamus, notandum etiam est plerosque inter eos ad VII^{mum} a. u. c. saeculum referri, ita ut partim ex eorum

multitudine, partim autem ex luculentissimis veterum testimoniis conicere debeamus Romanos, usque ad ipsum reipublicae liberae finem, mirifice operum eorum lectione delectatos esse, eaque jam sero, post T. Livium aliosque rerum scriptores, oblivioni fuisse tradita.

Quodsi autem omnia, quae hucusque de Annalium scriptoribus ¹⁾ dicta sunt, animo recoluerimus, facile videbimus eorum scribendi genus miscellum fuisse ex brevi et ieiuna rerum gestarum enumeratione nec non ex fabulis, per aliquot saeculorum decursum agglomeratis et undique congestis, ²⁾ quarum tamen plurima pars ex clarorum virorum laudes et virtutes a convivis canendi more repetenda videtur. Nonne autem haec etiam Liviana scribendi ratio est? ³⁾ Verum enimvero hoc pe-

1) Enumerat eos Lachmann.: de fontib. etc. p. 26; Baehr, in Hist. Rom. lit. T. II, p. 19 sqq. Cf. Niebuhr: Röm. Gesch. initio vol. II. V. imprimis Krausii: Vitae et fragmenta veterum historic. Rom. Berol. 1823 et Egger: Lat. sermonis reliquiae selectae. Paris. 1843.

2) Ut ex sacris cantilenis, quibus nimium tribuere videtur Corssen. p. 98 cf. p. 182; ex Annalibus praeterea Max., qui, juxta illam siccam eorum, quae quoque anno gesta erant enumerationem magis quam narrationem, etiam majoris ambitus traditiones continuisse videntur, ut de Herculis in Italiam adventu etc. V. Le Clerc: des journaux etc. p. 45. Consentaneum est insuper putare quibusdam etiam aliis fabulis et fraudibus, quibus plebem obstringere volebant patricii, refertos fuisse Annales Max., quum ab iis usque ad ipsam legem Ogulniam scriberentur. Huc accedunt etiam libri rituales, augurales, fulgurales, tonitruales, vatium annosa volumina et alia fortasse antiquitatis monumenta, quibus Gallicum pepercisse videtur incendium.

3) Apud Livium enim, cujus scribendi genus tam multis poeticis coloribus exuberat, permultos legimus locos, qui cum consueta ejus narrandi ratione non congruunt, sed breve et siccum rerum gestarum summarium continent nullumque internum cum aliis historiae ejus partibus, poetice ab eo elaboratis, nexum habent. Hujusmodi loci perquam multi ex Livio afferri possunt, quos ex Annalium scriptoribus, quibus unice fere usus est, depromptos esse per se intelligitur.

nitus mihi persuasum habeo cantilenas populares, etiamsi, ut hoc aliis concedam, Livius eas non inspexerit, per Annalium scriptores, quibus adeo usus est, ut tantum eos non exscripserit, in historias ejus manasse. His tamen admissis monendum praeterea est exacti temporis memoriam non solum carminibus convivalibus, sed etiam aliis monumentis et quidem literariis consignatam posterisque fuisse traditam. Quorum quaedam quum in praecedentibus a nobis allata sint, hic de naeniis, laudationibus funebribus, nec non de patriciarum gentium Annalibus memorasse sufficiet, quae omnia in historia romana corrumpenda haud parvum habuisse momentum non est profecto cur negemus. Et primum quod ad naenias attinet, quae ut Fest.¹⁾ tradit, in funeribus laudandi gratia ad tibiam cantabantur, quarumque jacturam Cicero dolebat, casu quodam felici nonnulla earum exemplaria etiam nunc in quatuor inscriptionibus, Romae, extra portam Capenam, a. 1780 in Scipionum sepulchris detectis, habemus. Has enim inscriptiones naenias esse, in Scipionum funeribus decantatas, rectissime conjecit Niebuhrius²⁾. Attamen ulterius, quam debebat progressus esse videtur, affirmans hasce inscriptiones eodem tempore, tanquam convivalia carmina fuisse adhibitas³⁾; profecto enim non facile quis nobis persuadeat sub hac jejuna et sterili eorum enumeratione, quibus de patria sua Scipiones meriti sunt, popularis poeseos latere vestigia. Cum naeniis autem arctissime laudationes funebres cohaerent, quibus etiam histo-

1) Fest. s. v. naenia. Alia veterum de naeniis testimonia collata v. apud Ulricium: *Charakteristif.* x. p. 99.

2) Nieb. *Röm. Gesch.* I, p. 271.

3) Quam opinionem sequitur etiam Corssen. *Orig. poes. rom.* p. 107 sqq. et praeterea Ulrici: *Charakterist.* etc. p. 99.


ria rerum romanarum facta est mendosior; multa enim scripta erant in iis, quae facta non erant: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et a plebe transitiones etc. ¹⁾ Huc denique pertinent etiam gentium patriciarum Annales, quibus omnia, quae ad gentilium honorem augendum inservire poterant, magno cum studio inserebant. Quae postrema monumenta haud immerito proinde pro turbido fonte historico apud veteres habebantur, quum de industria in iis singulorum auferentur merita; quod tamen non impediabat, quominus fabulosa exinde historia incrementa sua caperet. Haec igitur omnia, in quibus exponendis neque chartae, neque tempori, neque fortasse etiam auditorum nostrorum spectatissimorum patientiae peperimus, magnum in vetustissima Romanorum historia condenda habuisse momentum in aprico est. His enim omnibus, neque unice carminibus convivalibus, effectum est, ut in dies historica corrumperetur veritas Romaeque primordia adeo poetico fucarentur colore, ut serius non amplius fictum a facto, verum a fabula facile dignosci posset.


His omnibus expositis, non possumus quin addamus praecipuam corruptae a Romanis historiae causam etiam ex eorum negligentia et insano quodam nonnisi ea, quae peregre allata erant, admirandi et magni aestimandi studio repetendam esse; quo factum est ut omnia fere domestica rei literariae initia, in quorum numero etiam monumenta historica, non solum ab iis negligerentur, imo etiam spernerentur. Eo majori perfundi debemus laetitia, quibus, singulari Dei Optimi Maximi beneficio, NICOLAO I Imperante vivere contigit, Cujus regnum et bellicis laudibus et pacis artibus tam auspdatum tanque insigne,


1) Cic. Brut. c. 16.


etiam historiae nostrae monumentis antiquissimis, ad caliginem praeteritorum annorum dissipandam aptissimis, colligendis, emendandis iisque in lucem edendis perquam celebre reditum est.

Hic tamen subsisto remque, quo sponte mea inclinatur oratio, ulterius persequi nolo. Implorem Deum O. M. precesque pias et ardentissimas ad Eum fundamus, ut Imperatorem nostrum Clementissimum, Justissimum, Benignissimum, per multorum porro annorum decursum divina Sua tutela contegere velit, ut quidquid vel patriae vel literarum causa suscipiendum aut agendum esse censuerit, id felix, faustum fortunatumque esse jubeat. Dixi.









www.books2ebooks.eu